



Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

Raynaud, Théophile

Lugduni, 1665

Sectio I. Catholica, & sola legitima Ænigmatis Enodatio proponitur, ac typo exponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79561)

LIBER SECVNDVS.

Enodatio Catholica editi diuinitus Enigmatis, proposita, & accuratè discussa, subiun-
ctoque sacrorum Emblematum apparatus illustrata.

A Enigmatis diuinitus propositi enodationem hæreticis tam multis, quos hæcenus retulimus, ac repulimus tam infeliciter cecidisse mirum nequaquam videbitur, si attendamus quam illi constitutas ænigma legitime exponendi cautiones non ternerint, sed à recto auctori, per auia, & prærupta dellexerint. Ad uocationem cogitaret, esse præmittendam qui hanc enodationem cogitaret, edocueramus, atque adeo fidem à Deo exorantem humiliter tenendam, cornibus in veritatem tamen si intellectu dulcissimo non satis penetratam, minime erectis, commendabamus: puritatem denique animi, ne fumus aut fuligo excrementitia uiciorum de conscientia ceno euaporans, quod sæpè accidere obseruat S. Augustinus, intelligentia lumen extingueret, vel excipiendum præcluderet, curandam omni studio admoneramus. At hi iudicio proprio condemnati, & sibi ipsius pessimi consultores, ac magistri notorum dogmatum facti, conculcatis Ecclesiæ scitiis, & fidei rubrica abiecta turpissime impegnerunt. Quam in ueteribus errandi circa hoc ænigma radicem, ad nuptos quoque uerè transcendendam S. Anselm. lib. de Incarn. Verbi cap. 2. his uerbis aperuit [Solent quidam cum caperint quasi cornua confidentis sibi scientiæ producere, nescientes, quod si quis æstimat se scire aliquid, nondum cognouit quemadmodum oporteat eum scire, antequam habeant per soliditatem fidei alas spirituales, præsumendo in altissimas de fide questionis allurgere. Unde fit, ut dum ad illa, quæ priùs fidei scalam erigunt, sicut scriptum est, nisi credideritis non intelligitis, præpositè priùs per intellectum conantur ascendere, in multimodos errores: per intellectus defectum cogantur descendere. Palam namque est, quia illi non habent fidei firmitatem, qui quoniam quod credant, intelligere non possunt disputant contra eiusdem fidei à sanctis Patribus confirmatam ueritatem: uelut si uespertilionem, & noctuam, non nisi in nocte celum uidentem, de meridianis Solis radiis disceptent contra aquilas, Solem ipsum irreuerberato visu intuentes. Prius ergo fide mundandum est cor.] Hoc totius sanctimonie primo fundamento, fide (inquā) de uera destitutos Sectarios, cor nequaquam mundasse, & ad excipiendam diuinam lucem præparasse, sed horridis turpitudinibus, quas premere consiliis uiderit, dehortantes uitam suam, procul à se abegisse Spiritus S. locum, quā propositi ænigmatis caliginem dispellerent, cuiusque tenebricositatem peruadere liquidò possent, in confesso est. Quare relictis erroribus, & eorum inanibus ænigmatis propositi extricationibus exploratis columen, & firmamentum ueritatis, Catholicam Ecclesiam, & quam illa suppeditabit ænigmatis interpretationem, accedo.

SECTIO I.

Catholica, & sola legitima Enigmatis Enodatio proponitur, ac typo exponitur.

1. Vt quidem Christiana mysteria supra rationem humanam, atque naturam, non tamen contra rationem, aut naturam. Ratio enim humana ueritate nititur, aliqui non est ratio, sed deceptio, & exorbita-

tio à recto ad uerum itinere, quod rationis nomine signatur. At ueritas non potest cum ueritate pugnare, neque igitur supernaturale mysterium cum naturali lumine pugnat, aut cum uera Philosophia naturali. Quod non negat Anastasius Sinaita cap. 1. *de uerbo in fine*, cum ait primam Philosophiæ definitionem sancire, contraria non posse coniungi: & hanc primam Philosophiæ regulam euertere hoc effato Christiano. [Diuinus ignis, & natura carnis in unam communionem, & societatem coaluerant.] Sensus enim tantum est, Philosophiam Deum merentem, quæ non est uera Philosophia, euertere per fidem. At cum uera Philosophia non pugnat fides. Hæc cum ita sint, non est desperanda legitima ænigmatis propositi enodatio; sin minus perspicua, & euident, quam iam exclusimus, at saltem tenebricosa, & caligine obsepta, qualem fides præstare potest, quæ ut eleganter à Damasc. dictum est Orat. de Transfigur. Est quidem in uis lucida præ tenebricositate ueteris legis, tamen nubes est, atque adeo nunquam caliginem & obscuritatem planè abiecit.

CAPVT I.

Quomodo uerè, & substantialiter potuerit Verbum caro fieri, rudis delineatio.

Premittendum est ante omnia cum Augustino lib. de dono perseuer. cap. 24. [Fidelis, qui in Christo ueram naturam credit, & confitetur humanam, id est nostram, quamuis singulariter suscipiente Deo uerbo, in unicum filium Dei sublimatam, ita ut qui suscepit, & quod suscepit, una esset in Trinitate persona: Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unus in Deo, & homine ueritatem. Quoniam non Deum tantum, dicimus Christum sicut hæretici Manichæi: nec hominem tantum, sicut hæretici Photiniani nec ita hominem, ut aliquid minus habeat, quod ad humanam certum est pertinere naturam: siue animam, siue in ipsa anima mentem rationabilem, siue carnem non de femina sumptam, sed factam de uerbo in carnem conuerso, atque mutato, quæ omnia falsa, uana hæreticorum Appollinaristarum, tres partes varias diuersasque fecerunt. Sed dicimus Christum Deum uerum, natum de Deo Patre sine ullo initio temporis, eundemque hominem uerum, natum de homine matre, certa plenitudine temporis; nec eius humanitatem quā minor est Patre, minuire aliquid eius diuinitatem quā æqualis est Patri, hoc, autem utrumque unus est Christus.] Hæc est quasi fundamentaria, & certissima ueritas fidei ad quam admetienda est explicatio nodi cui insistimus. In eo ergo sita est enodatio ænigmatis propositi, quod humanitas sine confusione, & corruptione vlla, iungitur uerbo diuino in unitatem suppositi, amittendo suam substantiam creatam, & acquirendo diuinam; atque ita unus & idem est qui ex duplici illa natura coagmentatur, quia duæ illæ substantiæ adunantur in uno communi termino substantiali, nec constant nisi unam personam.

In Christo aliud & aliud, non tamē aliud, & aliud.

3. Hec est summam Catholicā fides huius mysterij, quam iuvat exprimere verbis Nazianzeni Orat. 10. laudatis in Ephesino Concilio, & apud Facundum lib. 1. cap. 5. [Si quis duos filios, alterum ex Deo & Patre, alterum ex matre, non autem unum, atque eundem induxeritis ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ recte credentibus promissa est. Quanquam enim Deus & homo duæ naturæ sunt, quemadmodum, & anima, & corpus; non tamen duo filij, nec D. j; quemadmodum nec hi quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum, internam, & externam hominis partem appellauerit. Atque ut paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea, ex quibus Salvatore: (nisi verò id quod cerni non potest, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit; & quod temporis expertus est, cum eo quod tempori subest;) non tamen aliud atque aliud; absit. Ambo enim hæc, connexionem unum sunt, Deo nimirum humanitatem, atque homine diuinitatem suscipiente, aut quocunque tandem nomine quispiam uti malit.] In his paucis, expressam perspicue habes, & naturarum in Christo dualitatem, & personarum in pluribus illis nativis identitatem, ratione connexionis, & vnionis; quibus continetur vniuersa huius mysterij ratio.

Naturarum multipliciter exprimitur illa, [aliud, & aliud] vnde factum esse subiungit Nazianzenus, quem ad id descripsit ex oratione de Filio Anasl. c. 15. 17. 18. contra hic accidere quam in Trinitate. [Illuc enim aliud atque aliud, ne personas confundamus, non autem aliud atque aliud, quoniam tria, quoad diuinitatem, vnum & idem sunt.] At in Christo, aliud, & aliud, non aliud, & aliud: Vinc. Lyrin. perbellè id exponit c. 19. commonito. [In Deo (inquit) vnæ substantia, sed tres personæ: in Christo duæ substantiæ, sed vna personarum: in Trinitate aliud atque aliud, non aliud atque aliud: in Salvatore aliud atque aliud, non aliud atque aliud. Quomodo in Trinitate aliud atque aliud, non aliud atque aliud? Quia alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: Sed tamen Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non alia & alia, sed vna est eademque natura. Quomodo in Salvatore aliud atque aliud, non aliud atque aliud? quia videlicet altera substantia diuinitatis, altera humanitatis: sed tamen Deitas, & humanitas, non alter, & alter, sed vnus idemque Christus, vnus idemque Filius Dei, & vnus eiusdemque Christi, & Filij Dei, vna eademque persona. Sicut in homine, aliud caro, & aliud anima, sed vnus idemque homo, anima & caro.]

Ita ferunt varia huius mysterij nomina.

4. Iam personæ vnitate denotat, quod Christus negatur esse aliud, & alius propter connexionem humanitatis, & Verbi in vnā personam, quomodocunque ea connexio appelleretur, ut aiebat Nazianzenus, respiciens haud dubie ad varia omnino eius nomina apud Græcos, adde & apud Latinos. Notarunt pleraque Genebr. ad Symb. Athan. n. 19. & Salmeron. tomo 2. tract. 27. Plurima addidit S. Cyrill. l. de S. Trinit. c. 24. [Cum præstantiore quidem (inquit) verba facimus, Deificationem carnis, & λόγωσιν (Verbificationem, seu Verbificationem) & superexaltationem dicimus, & quæ sunt eius generis, opulentiam quæ carni ex vnione & arctissima coniunctione cum sublimissimo Deo verbo accessit commonstrantes. Cum autem à minori parte loquimur, Verbi incarnationem, humanitatis assumptionem, exinanitionem, paupertatem, humiliationem dicimus. Hæc enim, & quæ sunt huius generis, ob eam, quæ ipsi cum humanitate est, coniunctionem & participationem Verbo, Deoque tribuuntur. Cum denique

ab utroque simul nobis sermo est; vnionem, communionem, vnctionem, coalitionem, conformationem, & quæ sunt his similia pronuntiamus.]

Signo præterea, illustria quadam ineffabilis huius nexu nomina. Passim vocatur incarnatio, quæ voce abusi sunt quidam hæretici, ut Ariani: è quorum grege Eudocius Constantinopolitanus in opere de Incarnatione, cuius fragmentum exhibetur t. 8. bibl. Colono. pag. 336. ait se profiteri Deum incarnatum, non humanatum, eo quod Verbum non sit coniunctum humanitati, sed soli carni, Deitate supplere vicem animæ. Similitérque Apollinaristas studiosè vsuipasse vocem incarnationis, habet Nazianz. Orat. 51. Hæc causa fuit cur Facundus Herimian. l. 9. pro tribus capit. cap. 3. magis probauit vocem inhumanationis, respondentem Græcæ voci ἐνανθρώπησις, quam vocem Incarnationis [ut proprie (inquit) hoc exprimam, minus quidem Latino, sed necessario verba, sicut à Græcis dicitur, de inhumanatione filij Dei.] Et mox [Non enim refugio Verbum quod à me fidei ratio atque vtilitas flagitat, aduersus eos, qui non hominem totum, id est carnem, & animam rationalem, sed solam carnem; aut carnem tantum, & animam sine ratione, suscepisse dicunt filium Dei.] Et quanquam non displicet studium præscindendi Ariani, & Apollinaristas occasiones etrandi, tamen voce quoque illa abusum esse Apollinaristas, testis est S. Gregorius Nazianzenus referens eum per ἐνανθρώπησιν, voluisse intelligi externam Dei cum hominibus conuersationem, non autem copulationem Verbi, & humanitatis. Deinde vox Incarnationis eodem planè recidit, quod vox inhumanationis, neque enim de carne agitur inanimata, quæ non nisi æquiuocè caro est Aristotele ipso iudice, sed de carne viuā quæ totum hominem comprehendit, ut notat Cassianus collat. 4. cap. 10. estque accepto illa carnis frequentissima in Scripturis, ut signatis variis locis ostendit D. August. q. 80. ex 83. obliuiscens magis commendatam fuisse carnis nomine humilitatem in hoc mysterio, quam si adhibita fuisset loco carnis vox animæ quæ item sæpe in scripturis totum hominem per Synecdochen designat. Eū enim vere fuisse ibi Augustini sensum, multis ex Augustino desumptis contra Vicleffii commenta stabilis Valdens lib. 1. doct. c. 39. n. 10. & 11. Præterea verò idcirco non est ad hoc mysterium designandum vsurpata vox inhumanationis, quia ut rectè vidit Innocentius III. fer. de nativ. animatio Verbi non modò designaret nudam humanitatis cum verbo copulationem, ut facit vox Incarnationis, sed etiam videretur innuere viuificationem Verbi per animam Christi, quod constat esse à Verbo alienissimum. Quare Incarnatio, idem prorsus est quod inhumanatio. Nec Græci qui ἐνανθρώπησιν eam quoque nominant, aliud eo nomine intellexerunt hoc mysterium, ut videre est apud S. Athanasium in Dial. cum Apollinarista sub medium.

5. Quæ ab humanitate assumpta, incarnatio, aut inhumanatio dicta est, eadem à diuinitate naturarum concursu in vnā personam, dicta est à Nazianzeno Synodus, quasi conuentus, & coitio ut Genebrardus supra notauit: qui addit ex Nysseno, dici eandem ob causam πρὸς λογικὴν ἀπρὸς πρὸς ἀνθρώπινον: Damasceno ἐνανθρώπησιν, quia diuinitas carnem immanuit. Communissimum apud Græcos nomen est οικονομία quam semper contraponunt Theologiæ, hæc enim Deum in se, ac nudum spectat, œconomia verò ut carne amictum sub qua forma Christus tanquam fidelis in vniuersa domo Patris, ut habetur Heb. 3. negotium salutis nostræ, & totius familie Dei bonum diligenter curauit. Itarecè Turrianus ad prologum Cyparistotæ num. 5. vocat quidem interdum Græci Patres, nomine œconomίας eam

eam providentiam, quā Deus ante carnem assumptam communis mortalium consulebat, ut videre est apud Iulianum in expositione fidei, Tertullianum latē c. 3. contra Praxeam, & identidem eodem libro, Eusebium l. 1. c. 1. de præparat. c. 1. & Nazianzenus Orat. 1. de filio, tamē ut plurimum nomen æconomæ restringunt ad mysterium incarnationis, & ea quæ Verbum pro nobis gessit in carne, ut diligentius prosequitur Billius ad Orat. 8. Nazianzenus num. 14. ac Vossius ad sermonem 2. Thaumaturgi de Annunc. Virg. Quomodo vero voce æconomia abusi sint Manichæi, & alij quidam hæretici ad stabilendas suas hæreses, attigi supra, impugnavi errorem Manicæi post Anastas. c. 1. de synod. in syn. & cap. 3. pag. 245. In scripturis dicitur quodque intrinsecus & extrinsecus, de quo Hilarius Diacon. in c. 1. ad Hebr. & Chrysost. ibidem hom. 3. & ratio esse potest, quia hæc vita, est Genes. & Exodus. Nec plura de præcipuis huius mysterij nominibus.

Cur Christum, talem consruvi, oportuerit.

6. Quodcumque ergo ex his nominibus, aliisve, ut Nazianzenus monebat, adhibeamus, perinde est, quomodo nomen sitiale, ut per illud apte signetur ea in qua Christum compositio, quæ habet pro extremis humanitatem, & Verbum. Eiusmodi enim statui debet ea compositio, ut secundum eam verè Deus dicatur homo, & contra: & satisfactio per humanitatem eliciatur, sit actio Dei, ut suppositi per hanc suam naturam operantis, hoc autem deficeret, nisi Verbum, & humanitas copularentur, & in vnam compositionem concurrerent. At eo concursu posito, totus scopus Deo propostus in fabricatione huius mysterij, & Christi productione, optime obtinetur, ut attigit Donatianus l. de Trinit. c. 18. [Si ad hominem (inquit,) veniebat, ut mediator Dei, & hominum esse deberet, oportuit illum cum eo esse, & Verbum carnem fieri, ut in semiplo concordiam consularer terrenorum pariter, atque cælestium, dum utriusque partis in se connexa pignora, & Deum homini, & hominem Deo copularet: merito filius Dei per assumptionem carnis filius hominis, & filius hominis per receptionem Dei Verbi, filius Dei effici posset. Hoc altissimum, atque recordandum Sacramentum, ad salutem generis humani ante cæca delinatum, in Domino Iesu Christo, Deo & homine inuenitur impleti, quo conditio generis humani ad fructum æternæ salutis posset adduci.] Christus id ipsum habet S. Anselm. 2. Cur Deus homo c. 18. verbis illis [Ad hoc valuit in Christo divinitas naturarum, & unitas personæ, ut quod opus erat fieri ad hominum restaurationem, si humana non posset natura, fieret divina; & si divina minime conveniret, exhiberet humana; & non alius, atque alius, sed idem ipse esset, qui utrumque perfectè existens, per humanam solveret, quod illa debebat, & per divinam posset, quod ea petebat.]

7. Non potuisse autem alia ratione quàm per prædictam compositionem perueniri ad scopum illum, neque fieri aliter potuisse, ut idem homo, & Deus esset, (quod necessarium erat ut actio naturæ humanæ satisficeret Deo, esset Dei actio, & precium inde ac dignitatem hauriret, fieretque divina iustitiæ adæquandæ accommodata) perspicuè habetur ex eo quod omnes alie Dei ad creaturam compositiones, implicent contradictionem, ut minutissime probat Giliel. 2. tract. 4. c. 1. & passim alij l. p. q. 3. Hæc autem compositio Dei cum creatura, non repugnat, ut liquet ibi obiecta in contrarium. Audiendus interim breviter est S. Anselmus egregie ista demonstrans eisdem libri c. 7. exclusis hoc pacto omnibus aliis modis quibus fingi posset eundem esse Deum, & hominem, & monstrans Deum non posse aliter fieri

hominem, quàm per compositionem prædictam divinæ personæ, & humanitatis: [divina natura, & humana non possunt inuicem mutari, ut Divina fiat humana, vel humana divi na: nec ita misceri, ut quadam tertia sit ex duabus, quæ nec divina sit omnino, nec humana. Denique si fieri posset, ut altera in alteram converteretur; aut esset tantum Deus, & non homo, aut solum homo, & non Deus: Aut si miscerentur, ita ut ex duabus corruptis fieret quædam tertia: quemadmodum de duobus individuis animalibus diversarum specierum masculo & femina, nascitur tertium, quod nec patris integram, nec matris servat naturam; sed ex utraque tertiam; nec homo esset nec Deus. Non igitur potest fieri homo Deus, quem quærimus ex divina & humana natura, aut ex conversione alterius in alteram, aut corruptiva commixtione utriusque in tertiam; quia hæc fieri nequeunt, aut si fieri valerent, nihil ad hoc quod quærimus valerent.] Id est, etiam si possibile esset, ex Deo & humanitate corruptis, existere tertiam naturam, tamen ea natura non posset esse vni ad scopum Deo propositum in productione huius mysterij, hoc est ad satisfactionem perfectam per hominem qui deliquerat, & ira divina violaverat. Ut enim posset sic satisfacere, exigitur omnino ut sit verus Deus & verus homo. Pergit S. Anselmus; [si autem quolibet modo coniungi ita dicatur hæc duæ naturæ integre, ut alius sit homo alius Deus, & non idem sit Deus qui & homo, impossibile est, ut ambo faciant quod fieri necesse est. Nam Deus non faciet, quia non poterit. Ut ergo hoc faciat Deus homo, necesse est eundem ipsum esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui hanc satisfactionem facit, quoniam eam facere non potest, nisi sit verus Deus, nec debet nisi sit verus homo. Quoniam ergo servata integritate utriusque naturæ necesse est inveniri Deum hominem, non minus necesse est has duas naturas integras convenire in vnam personam, quemadmodum corpus, & anima rationalis conveniunt in vnum hominem: quoniam aliter fieri nequit, ut idem ipse sit perfectus Deus, & perfectus homo.] Non poterat ideo nos, & aptius, cum Eutychianismus, tum Nestorianismus reselli, & doctrina Catholica de Christo simul vero Deo, & vero homine stabiliri.

Structura Christi, utcumque expressa per structuram hominis.

8. Porro exemplum quo S. Anselmus hanc intra Christum compositionem expressit, à Nazianzeno quoque ut superius hoc ipso capite retuli, usurpatum est, & ab aliis quoque plerisque Patribus ad hoc ipsum fuit adhibitur, ut à S. Cyrillo l. de Incarn. vni. c. 24. qui cum contestatus esset non posse per nos penetrari quomodo Verbum factum esset homo, & unitum fuisset nostræ humanitati, subdit. [Sed si oportet tanquam in speculum intrantes dicere, coniectar aliquo modo sensus humanus, adunatum fuisse Verbum corpori habenti animam rationabilem, qualiter etiam hominis animam suo corpori; Iplam quidem diversæ naturæ, fortitamen communionem, adunationemque cum corpore: ut penè videatur non esse alia præter corpus, eò quod per compositionem ex utroque animal vnum efficiatur. Manet tamen ipsa, ut ante memoravi, in sua natura.] Fulsus eadem tradit in epistol. ad Monachos Aegypti parte 1. Conc. Ephes. Græcol. 12. Non dissimiliter S. Gregorius Thaumaturgus in 2. expositione fidei num. 2. ait [Verbum copulatum esse carni, ad similitudinem humanam: Id est, ut in notis exponit Turrianus, ad modum unionis animæ, & corporis. Pulchre S. Augustinus tract. 47. in Ioan. [Planè (inquit) & caro Christus, & anima Christus; & Verbum Christus; nec tamen tria hæc

tres

tres Christi, sed vnus Christus. Hominem interroga, & de te ipso fac gradum ad ea quæ supra te sunt, & si nondum intelligenda, saltem credenda: quomodo est enim vnus homo, anima & corpus, sic vnus Christus, Verbum, & homo. Videte quid dixerim, & intelligite. Anima & corpus, duæ res sunt, sed vnus homo: Verbum, & homo, duæ res sunt, sed vnus Christus. Similia habet epist. 3. & 57. & in Enchir. c. 36. & l. 13. de Trinitate c. 17. Nyssenus perpulchrè sub initium qq. de Imag. Quanam tandem de causa (inquit) non spirituales potius, & ab omni materiae concrectione se iunctos, ac cælestes, Deoque proximos Angelos appellat Deas ad imaginem, & similitudinem suam creatos. Etenim principatum, atque imperium in terram vinctam, atque hominem ipsum, obtinent illi, in eo etiam amplius quam homo. Pari ratione immortalis esse, à materia segregatum, inuisibilem, & purum, atque omnia quæ de Adamo dixeris, excellentius insunt spiritualibus, & cælestibus incorporearum mentium choris. Quippiam igitur profundius nobis, quam prima fronte pateat, illud ad imaginem, quod est in homine, obscure indicat. Non enim vnā quandam imaginem, ac similitudinem Dei possidet in se homo, sed & secundam, & tertiam, tanquam in speculo quodam & adambata effigie ficticia, & typica, non physica, diuinitatis, in qua sunt tres personæ, mysterium exprimens. Neque verò id solum, sed & vnus ex sancta Trinitate Dei Verbi incarnationem prænuntiat. Ac fortasse ad imaginem quidem est diuinitatis nuda anima, ad similitudinem autem Incarnationis Verbi, istud animæ nostræ, corporisque compositum. Nemo est qui illud S. Athanasij ignoret, [sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.] Ad eum locum Genebrardus num. 36. multos præterea alios Patres laudat in eam rem. Geronimus denique Scholarius in duce viæ, & cap. 8. colloquij cum Sultano, quod descubitur l. b. 2. Turcogr. Croisij, adhibito eodem exemplo declarat hoc mysterium. Analogiam ex variis capitibus petit Genebrardus supra præcipua, & à Patribus inuenta iuxta Facundum l. 9. c. 4. In eo est quod duæ Christi naturæ in vnā personam concurrant, sicut anima, & corpus in vnā personam hominis, nec prius anima, aut corpus per se fuerint, vt obferuat Anast. c. 1. § 17. pag. 49. Item in eo quod vt anima corpus animatum, ita Verbum, hominem denominat Deum. Præterea in eo quod sicut anima quasdam proprias, quasdam cum corpore communes actiones habet, ita & Verbum cum humanitate. Tandem quia vt actiones vtriusque partis Physicæ hominis, toti composito verè tribuuntur, ita composito ex duabus naturis, & vna Christi persona, vtriusque illius naturæ prædicta sine absurdo tribuuntur: vnde Deus dicitur passus, & homo eternus. Sunt omnes hæ analogiæ optimæ, [Demit quippe (inquit S. Bern. 5. de consid. c. 9.) familiaris similitudo cum hominis conuenire constitutione, quod pro homine constitutum est Sacramentum.]

9. Quia tamen exempla si omnimodam paritatem continerent, exempla non essent, & nominatim quæcunque in rem præsentem conferuntur, admodum oblecta sunt, vt notauit Damasc. 3. fidei c. 26. multa sunt in hoc exemplo dissimilia mysterio de quo agimus, vt fuse persequitur Iustinus in expositione fidei de Trinitate *post med.* attigit S. Bernardus supra, ac Nemef. lib. de hom. c. 3. *sub fine* qui præsertim virget quod anima quoquomodo miratur, & deprimatur, aggrauaturque à corpore, quod Verbum non subit ab humanitate. Addendum verò insuper est, animam rationalem, & corpus, esse substantias dimidiatas, facereturque vnā naturam, & neutrum eorum ut habere alterum ad suam subsistentiam, sed vel vtrique esse suam subsisten-

tiam, vel ambo pendere à subsistentia totius. Quæ omnia deficiunt in verbo, & humanitate. Aliæ præterea dissimilitudines notari possunt cum Anastasio cap. 18. § 17. Vnde mirum non est si hæretici ex hoc exemplo veritatem huius mysterij labefactare tentarint, vt Senerus, & Monophysitæ ex Rulico, qui præterea disparitates huius exempli latè persequitur Dialo. contra Aceph. & ex Anastasio c. 17. § 17. *in fine*, & c. 18. *initio*. Malè SS. Patres hoc exemplo vfos interpretati Armeni, vt videre est apud Theorianum in legatione, pag. 125. ex eo quod anima, & corpus sint vnica natura, vnica ex verbo, & humanitate naturam Christi eruebant, perpetuèque in ore habebant hoc exemplum, vt idem Anastasius c. 19. & latè quoque Iustinianus in suæ fidei edicto, referunt. Quasi non etiam liceret in homine duas parciales naturas distinguere, spirituales scilicet, & corporeas, quod apertè vult Anastasius c. 18. & S. Augustinus 13. Trinitate c. 17. quomodo tres in Christo naturas ponunt, Deitatem, animam, & carnem. Quam multa item, ex malè aptato exemplo humanæ compositionis aduerus veritatem huius mysterij effugerit Vvicleffus, legere licet apud Valdensum c. 1. l. 1. c. 39.

Aliæ eiusdem structura, imagines.

10. Quare fatendum est, exemplum compositionis hominis ex anima, & corpore non esse nisi exemplum Incarnationis, atque adeò aliquatenus claudicare. Estio verum sit, illud exemplum plus aliquantò congruere, quam cætera vulgaria, vt asseruit Nemef. *supra*, & D. Thomas 4. contra gent. c. 41. Eiusmodi est exemplum infusionis quo vitur S. Ephrem Sermo. de marg. preciosa *sub fin.* & omnibus præfert Dur. in 3. d. 1. q. 1. n. 13. ac contra Caietani contemptum tuetur latè Palac. eadem distinctione 1. disp. 1. *sub fin.* Admodum item tritum est exemplum ignitionis, quo vitur Anastasius c. 1. § 17. pag. 39. Damasc. optimè l. de duabus Christi voluntatibus, fuse itè ac benè Arnobius in conflictu cum Serapione lib. 2. *sub initium*, Nyssenus in Orat. magna Carech. c. 10. Nicetus 3. Thef. c. 38. n. 14. S. Cyrill. 2. pentab. in proœmio, & libro nuper edito de S. Trinitate cap. 14. & lib. de Incarn. Vniq. cap. 8. Cantacul. apologia 1. *sub medium* & apologia 2. *sub initio*, & fuse S. Basilus homil. de humana Christi generatione itemque autor operis de Incarnatione apud Augustinum lib. 2. *sub fin.* describens Origenem 2. periarth. c. 6. Exemplum verbi nostri mentalis, quod immutatum assumit vocem externam, vt carnis auribus illabatur, legere licet apud D. Augustinum 1. Doct. Christi. cap. 13. & lib. 15. de Trinit. c. 11. & apud Fulgentium contra sermonem Fastidiosij. S. Gregorius homil. 2. in Ezech. adhibet præterea exemplum electri, quod ex auro, & argento componitur, quæ ad diuinitatis, & humanitatis in Christo nexum egregiè accommodat. Hæc exempla fateor non esse adeò apposita, quam est exemplum vnionis animæ, & corporis. In his enim exemplis, & manductionibus ad hoc mysterium, de quibus infra pleiè, multo plures sunt dissimilitudines, & improprietates, quam in exemplo illo animæ, & corporis: Tamen vt Iustinus supra rectè monuit, non debet nos pudere improprietatis quorumlibet exemplorum nostrorum cum hoc mysterio. Tam verum item, quam tritum est illud Augustini epistola 3. Volusianum adhuc Ethnicum de hoc mysterio erudientis. [Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse.]

Obsignemus hoc caput ea confessione qua Amatus Metensis Episcopus vitam ipsam obsignauit, vt ex gestis Metensium Antistitum narrat Onuphrius l. de ritu sepeliendi c. 1. Amatus ergo cum ad extrema venisset, iussit

testis tibi prelegi epistolam S. Leonis Papæ ad Flavianum de Incarnatione, cæque prælecta, missas faciens quicunque mysterij huius ille illustrationes sine probationibus exclamant; Sic credo. Trinitas ineffabilis, sic confiteor. Deus omnipotens, ita de te sentio Fili dei Iesv Christo, qui pro nostra salute dignatus est venire in hunc mundum, sic de te intelligo. Ita credidus de tua Incarnatione sentio piissime Christe, quod aliam per carnem sicut duas naturas vitæ in vnam pertinet.

CAPVT II.

Contradictionum proposito divinitus enigmati
in speciem offusarum, superficiaria
extrahio.

16. Si utriusque monstrata legitima ratione, qua
Svnos & ueni potest esse Deus & homo, quin-
tesimo. 20. ex fide facile cognoscere potest, quomodo
conciliant omnes ille contradictiones, quae supra in
propositione difficultatis, & tenebatur nostri atheni-
enses videntur: quod scilicet idem sit gigas, & pu-
er fuerimus, & infinitissimus, altissimus & depressissi-
mus, mortalis & immortalis, genitus per genitam
suum, genitor & creatura. Lectorem in re certa, & sup-
positis fundamentis ante iactis, non addo obicura, praeter
per nonnullos Patres faciente oportunitate vi-
deatur.

*Pugnantia Christi attributa, à PP. conciliata, ex
naturarum concursu in unam personam.*

Profero verò inprimis Iustinum in expositione fidei de Trinitate cum agitur de Verbi defectu ad nos, ad insinuantem cum genit. nostrum. At eam, quando tempus à Deo ad id præfixum appetit; [Verbū vñm inquit Virgine stirpis Davidicæ, sicut illi legi promissum fuerat; et ingressum in eius virtutem, quasi legem quoddam diuinam, fingit sibi templum perfectum hominem, sumpta parte quadam illius naturæ, quæ ferè formandi eius templi essentia hoc induratus & hanc virtus, Filius Dei, prodijt naturæ g. minæ. Ex hoc enim tempore, Filius & Deus & homo est. Ita dispensationem erga nos suam absoluit, quandoquidem Adam peccatum posteris suis morti subiecit, et vniuersalem eorum naturā huic debito reddidit obnoxiam. At Filius vt Deus & homo, lapsum Adam in integrum restituit: et in quantum homo vitam agit inculpabilem, morte mox spontaneam suscipit; ab eo, utā quidem vitandi ratione delictum abolsens, mortem vero debitam, indebita tamen fastidit. In quantum autem Deus, quod collapsum est restituit, et mortem ipsam in totum destruit. Idem igitur est Filius, qui & concidit & collapsa restituit: in quantum homo, concidit: In quantum Deus, restituit. Quoties igitur audieris de suo Filii voces contrarias, collatas inuicem, diuide utā vtramque naturam; magnificas, diuinā quæ diuinæ naturæ attribuitur: quicquid autem ex-guam, et humanum, humane imputans, sic enim & vocum eorum discrepantiam effugas, reddendo sua cuique naturæ, et filium vocum antiquiorum seculi, omnibus, eundem restitutum iuxta sacras Scripturas confiteberis.]

12. Egregie quoque Tertullianus l.2. contra Marc.
cap. 27. Quancunque exigitis Deo digna, habebuntur
in Patre inuolabit; Incongruibilemque, & placido, &
(ut ita dixerim;) Philophorum Deo. Quancunque
autem viri in digna reprehenditis, deputabuntur in Fi-
lio, & viſo, & audito, & congreſſo, arbitro Patris & mi-
nistri, niſcunt in ſemelpio hominem & Deum; in
Tropo. Raynandi Chriſtus.

virtutibus Deum, in pusillitatibus hominem, vt tantum homini conferat, quantum Deo detrahit. Totum denique Dei mei penes vos dedecus, Sacramentum est humane salutis. Conuersabatur Deus, vt homo diuina agere doceretur. Ex aquo agebat Deus cum homine, vt homo ex aquo agere cum Deo posset. Deus pusillus inuentus est, vt homo maior fieret.

S. Cyrillus l.de Incarn. Vaig. c. 26. Icto simili fundamento vnitate fuppositum duplici Christi substantia, finaliter exponit longum Syllabum, quem ibi conficit contradiCTORIUM attributorum, quæ eidem Christo vnde assignantur, quædam ratione humanitatis, quædam ratione Deitatis. Idque vt significaretur, ait Leuit. 14. ad leprosi curationem indicum esse, vt fumerentur duo pulli mundi, quorum vnus occidebatur, cuiusque sanguine profundebatur cum pulu alter, qui mox vnus dimittebatur, cum qui a lepra curandus erat. Hoc sic ad rem prælorem aptat S. Cyrillus. [Reddit quidem nos mundos, & pollutionum sordes abluat, & carnalis concupiscentia mortalitatem repellit sanguis preciosissimus Christi, & purgatio Baptismi sacrosancti. Cæ. quum illud aspicie. Omniteres enim scripturam vni subtiliter examine, quod mysterio expedit in præsentia memorabitur. Pollis duobus comparat Christum, non quod duo sint illi, sed quod vnus potius ex duobus, ex diuinitate & humanitate in vnitate collocatur. Mundi autē pulles, que enim fecit peccatum Dominus noster Iesus Christus, sed erat Verbum sanctum & diuinitate & humanitate. Volueribus verò comparatur, quod quasi in sublimi sit super terram, & de cælo desuper. A cælo enim homo est Christus, licet carnem sancta Virgo peperit. Quomodo igitur desuper & de cælo? Deus enim Verbum, quod est desuper & ex Patre, carnem ex Virgine sancta accipiens, & eam suam propriamque existmans, & tanquam si eam desuper, & de cælo detulisset, dicebat: *Ei nemo ascendi in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis*. Ea enim quæ sunt tui, propria carni semper attribuit, adonacum vero femel, iam cum ipsa vniui scilicet extulimabit. Cæterum vnde occiso vno pullo, lauat quidem alterum, eius comparatem tamen non emori. Et quid hoc sic? vinebat enim Verbum, licet sua caro fuisset mortua, & communem passionem esse dicebat propter adnationem & familiaritatem quam habebat cum carne. Igitur ipse quidem vinit vt Deus, copios vero tanquam proprium faciebat, & in se familiariter accipiebat corporis passionem, cum ipse nihil in natura propria pateretur. Prodest igitur & necessarium est, si in vno Christo id accipimus, quod secundum aliud & aliud de vno eodemque Christo constituitur, & quod in duo diuidi non permittat, licet diuersa inter se, & min. me conuenientia esse dicantur.] Perbelle hinc quoque mysterij nostri typum, & consociandum in vno, & eodem contradiCTORIUM attributorum imaginem, proponit idem Cyrillus 1. 3. glaphyr. in pentat.

13. Alibi autem eodem libro eodem modo accipit
mandatum *Leuit. 16.* Larum de duobus hircis pro peccato
statuendis coram Domino, quorum vnus liber
dimittebatur, alter vero immolabatur, & eius sangui-
ne eluebantur peccata. Diffusioris eo loco orationis
Breuiulum appono, ex *1.9. in Iulia. ad 12.* Quoniam
pro peccatis nostris immolatus est Christus, hircō affi-
milatur. Nam sic dicit Propheta *Esaia: Omnes sicut
ovēs erravimus, homo via sua erravit. Et Dominus tradi-
dit ipsum pro peccatis nostris.* Nam duo hirci assumuntur,
non quod duo Christi, hoc est duo filij secundum ali-
quos, sed magis quod oportere videri etiam occiden-
dum pro nobis: & morientem quidem secundum
carnem, viventem autem secundum spiritum fortes
autem & nomina hircis, vni quidem illorum *Dominus,*
alteri vero *Deo* vocatus, hoc est *emissarius.* Non enim

F figure

sicut strenuus Iulianus, dicit, præcepit dimitti signaculo carentem dæmoni cuiusdam *δαιμονίου*: & *δαίμονιαι*, hoc est, *mala arcenti*: Sed ipse hircus potius vocabatur *apompas*, eo quod immolatione amandabatur, quemadmodum scilicet & *Dominus* qui occidebatur. Describatur autem per utrumque; unus Christus, & moriens pro nobis secundum carnem, & morte superiori demonstrabatur secundum divinitatis naturam, emittebaturque in desertum, præfigurante terra deserta & inarabili, gentium sterilitatem.] Fuffinè idem habet epistola ad Acacium quæ habetur t. 6. Conc. Ephes. c. 16. Et omnibus his locis pulchrè observat nomen eius hirci qui pro peccato occidebatur fuisse, *Dominus*, alterius vero nomen fuisse *ἀπομπαῖ*, emissarius ut typus, Dominum gloriæ pro nobis immolatum, eundemque inter mortuos liberum delinearet. Theodoretus dialo. 3. cuius titulus est *imp. a. ribilis* eodem modo exposuit, utrumque mysterij huius typum propositum, hircum scilicet & passerum. Quanquam non desunt alie quoque eorum interpretationes. Nam duos hircos Cyrillus ad illum t. 2. fateatur posse quoque accipi de Christo inter homines hircos, & peccatores apparente in similitudinem carnis peccati. Tertullianus verò l. contra Iud. c. 14. & l. 3. contra Marcio. c. 7. post Iustinum in Triphone, hircum immolatum ad priorem Christi adventum: hircum alterum, ad posteriorem in gloria adventum refert. Dionysius Alex. epistola contra Paulum Samosat. ad quæst. 4. duos hircos exposuit Patrem, & Filium, sed interpretatio ex S. Cyrillo proposita, bellè quadrat in rem præsentem.

14. Omnes igitur contradictiones prædictæ, tolluntur modo proposito, quia etiam si cadunt in vnum eundemque Christum, non tamen ratione eiusdem naturæ, quæ in vno illo (supposito est multiplex. Hocque est totum fundamentum communicationis idiomatum, ut optime tradit Vincent. Lyrin. c. 21. verbis illis. [Propter personæ unitatem, indifferenter atque promiscuè, & quæ Dei sunt propria, tribuntur homini, & quæ carnis propria, adscribuntur Deo. Inde est enim quod divinitus scriptum est, & Filium hominis descendisse de cælo, & Dominum Maiestatis crucifixum in terra: Inde etiam est, ut carne Domini facta, carne Domini creata, ipsum Verbum Dei factum, ipsa sapientia Dei impleta scientia creata dicatur: sicut in præsentia, manus ipsius & pedes fossi esse referuntur. Per hanc inquam, personæ unitatem illud quoque similis mysterij ratione profectum est, ut carne Verbi ex integra matre nascente, ipse Deus Verbum natus ex Virgine, Catholicissimè credatur, impijssimè denegetur.] Qui verò hoc modo non benè dividunt, maledictioni Caini se obnoxios reddunt, ut perpulchrè in hunc modum dixit S. Ambros. l. de Incarn. Dom. Sac. c. 1. & 2. [Caveamus ne à sinu Patris, & quodam vtero paterno arcaneque naturæ, substantiam vnigeniti filij separemus, verbisque his, quibus veritas susceptæ Incarnationis adstruitur, divinæ generationi præiudicia inferre meditemur, ne & nostrum alicui dicatur: Si res illæ offeras, res illæ autem non divides, peccastis, quiesce. Hoc est, si nesciamus quæ propria sunt divinitatis æternæ, Incarnationisque distinguere, si Creatorem cum suis operibus conferamus, si autorem temporum dicamus cœpisse post tempora.] D. Hilarius ferè initio 9. de Trinit. ait, hanc indistinctionem, fuisse omnis circa Christum erroris radicem.

Indidem petenda solutio omnium anigmati proposito adversantium.

15. Argumenta quæ contra nunc datam anigmati nostri enodationem formari possunt, illa ipsa sunt, quibus Athanasius Philosophi adversus possibilitatē huius

mysterij armantur; ducunturque vel ex parte Verbi suppositantis humanitatem quod inde mutandum, vel imperfectiōne aliqua contaminandum videtur; vel ex parte humanitatis divinitus suppositatæ, quæ non videtur posse sic suppositari quin plus à Verbo, quàm alijs divinis. Personis dependeret, cum tamen omnis causalitas ad extra sit toti Trinitati communis: Vel ex parte resultantis inde compositi, quod videtur fore ens per accidens. In his argumentis conterendis non placet nunc hærere, quod inferius, plenè discussis contrarijs principijs, clarum sit futurum ea non esse valida. Nunc autem non nisi imperfectè posset eorum vis debilitari, & quæ retundi. Satis itaque erit in præsentia, cum Nysseno lib. 2. de Philosophia c. 12. imo Nemefio c. 3. libri de homine (post descriptam vniōnem animæ cum corpore,) dicere etiam Ethnicos nobis attestari, & quod impossibilis indicetur hæc vniō Verbi cum humanitate, ex crassa eius conceptione ortum habere [Verbum (inquit) unitū remansit inconfusum, & incomprehensibile, nihil ipsum à societate corporis, & animæ, immutatum, neque illorum imbecillitatis participes, sed eis suam divinitatem impertiens, vnum cum eis sit & permanet; quod erat ante iunctionem. Novus hic temperationis, aut iunctionis modus est, & temperatur & manet omnis duntaxat admixtionis expertus, & non confusum, & incorruptum & immutabile, & præterquam quod se non vertit neque confunditur, quoniam omnis prioris commutationis est expertus; non vnum cum illis patitur, sed vna tantum agit: neque simul interit, aut commutatur, sed cum illa amplificat, tum ab illis non imminuitur. Testatur hoc Porphyrius, qui Christum oppugnare & infectari non dubitavit, sunt autem gravia inimicorum à nobis quæ sunt testimonia, neque contradici quicquam potest. Itaque Porphyrius capite secundo variatum quæstionum, ad Verbum, sic scribit, non improbandum igitur accidere posse, ut aliqua substantia ad alterius substantiæ absolutionem assumatur & pars substantia sit, ita ut in sua ipsius natura maneat & aliā substantiam compleat, & vnum cum alio fiat, & suam unitatem conferuet & quod maius est, ipsa quidem non vertatur, sed ea in quibuscunque fuerit, ad suam ipsius actionem sua præsentia vertat. Atque hæc de animæ & corporis iunctione scribit. Quæd si in anima vera est ratio, propterea quod est non corpus, longeque erit verior de Deo Verbo, quod multo magis non concretum & verè ab omni coagmentatione corporis remotum est. Hoc planissimè obturat os ipsius, qui iunctionem Dei cum homine accusare conantur.] Hæc ad Ethnicorum argumenta contra huius mysterij possibilitatem, satis in præsentia erunt.

16. Sunt verò præterea alia quædam argumenta contra huius mysterij veritatem provi est à nobis exposita, quæ ab hæreticis varijs confecta, adunavit in vnum veluti fascem Naz. Orat. 35. *sub fine* verbis illis [Tu mihi contra, illas ingratitudinis tuæ voces enumera, has videlicet, Deus meus, & Deus meus, Maior, creavit, fecit, sanctificavit, servum etiam si ita lubet, & obedientem adiunge; atque hæc etiam, dedit, dedit, mandatum est, missus est. Illud etiam, quod a seipso quicquam facere non possit, aut loqui, aut indicare, aut donare, aut velle. Huc adde ignorantiam, subiectionem, precem, interrogationem, profectum, consummationem. Adde etiam si ita placet, quæ his abiectiona sunt, dormire, esurire, fatigari, lachrymas mittere, mortis patore affici, ac velut tergijferari. Fortasse etiam probri causa, crucem quoque ipsam & mortem obijcies. Resurrectionem enim, ipsiusque in cælum receptionem, consulto mihi prætermittis: videtis: quoniam in his, quod causa nostra faneat, quippiam reperitur. Multa etiam alia congerere queas, si construere velis, æquiuocum illum ex tua sententia, & ascriptum Deum;]

